& illi soli seruies. Timentes autem dominum glorificat. Timentes dominum casto & filiali timore non seruili glorificat. id est laudat. & be
atificat. sub fidelis aliquis. Glorificat etiam xp̄c apostolos dominum timentes. Qui iurat proximo suo & non decipit. id est qui ad im
plet quod promittit. Iurare autem dicitur quasi iure agere. Et xp̄c iurauit proximo suo. id est choro apostolorum promisit quod sessuri secum essent
super sedes xii. Et nec decepit eum. quia & hoc iam ex parte perfecit. & adhuc perficiet. Qui pecuniam suam non dedit ad usuram.
V sura dicitur super crescens pecunia. Sciendum autem geminam esse pecuniam. Nam una pecunia est metallica. auri scilicet & argenti.
eris & ferri. & ceterarum rerum temporalium. De qua pecunia. usuram prohibemur facere. Manifestum est autem & turpe nimis cupi
ditatis iudicium id uelle exigere. quod ei non commisisti. Est autem alia pecunia spiritalis. ex qua multiplicatum laudabilis usu
re fructum iubemur reddere. hec enim pecunia sancta est scriptura. De qua a nobis hoc modo usuram exigitur. Cum uerbi gratia
D octor aliquis ex parua lectione quam discipulo impendit. ut plura ex eo uigilanti studio requirat & intelligat. eum
dem discipulum cogit. ut etiam usuram alteri doctor a discipulo requirit. cum id quod uerbo docet. ut in opus uertat monet.
D e hac usura dominus in euangelio. prudentem seruum laudat. Eandem a malo requirit inquiens. Cur non dedisti pecuniam meam
nummulariis. & ego ueniens cum usura utique exegissem quod meum erat. Et munera super innocentem. id est contra innocentem
non accepit. uerum etiam semet ipsum pro nocentibus tradidit. & nota id est non accepit munera ut innocentem dampnaret. Et xp̄c
non solum munera contra innocentes non accepit. Et nota per omnes superiores uersus sub audiendum esse. quod ille talis &
talis. qui hec & hec non facit. Et hec & hec operatur. dignus sit qui in tabernaculo dei habitare mereatur. Qui facit hec. id est qui
studiose hec .x. precepta superius memorata impleuerit. Non mouebitur. id est non timebit. non conturbatur in eternum. id est in die iu
dicii. iuxta quod alibi dicitur de iusto uiro. & mandata diuina perficienti. non confundetur cum loquetur inimicis suis in porta.
Porta quippe hoc loco appellatur dies iudicii. in qua alloquetur xp̄c inimicos suos id est diabolum & omnes reprobos inquiens. Dis
cedite a me maledicti in ignem eternum. & a qua tremebunda locutione non confundetur. id est non erubescet iustus.

Cum omnes psalmi titulos suos habeant. queri potest. cur de hoc dicatur in tituli inscriptione.
quasi iste specialiter tituletur. Sed sciendum. quia humanitas xp̄i per totum hunc psalmum de passione & resurrectione sua maxi
me loquitur. Legimus quoque in euangelio. quod pilatus in passione xp̄i titulum supra dominicam crucem iusserit apponi. In quo
erat scriptum hebraice. grece. & latine. ihesus nazarenus rex iudeorum. De quo cum eum iudei interpellarent & dicerent ne
hoc scriberet. sed illud quia ipse dixerit rex sum ego iudeorum. respondit eis dicens. quod scripsi. scripsi. Quia imperium
xp̄i eternum est. & numquam finietur. Loquitur propheta. in hoc psalmo de passione xp̄i. sed intitulauit eum huiuscemodi
inscriptione. preuidens diuina inspiratione futurum quod a pilato iam dictus titulus. dominice erat cruci affigen
dus. Unde & alium psalmum ita titulauit. In tituli inquit inscriptione ne corrumpas. Faciens quodammodo apostro
pham ad eundem pilatum. ne ad exhortationem iudeorum illum deleret titulum. Conserua me domine. Vox xp̄i
est. dominum patrem in passione inuocantis. Uidens enim se ex omni parte uallatum. feritate iudeorum se persequentium et ilde
rantis. Cucurrit ad dominum patrem inquiens. o domine deus pater conserua me. id est libera me de morte. & fac me resuscitari
de sepulchro. Quoniam speraui in te. id est omnem spem in te posui. non in diuitiis aut aliqua mundi gloria. Dixi domino. id est
deo patri. Deus meus es tu. o pater. Dominum autem suum appellat xp̄c dominum patrem secundum humanitatem. Cum quo deus est & dominus secundum
diuinitatem. De quo ipse in euangelio loquitur dicens. Ascendo ad patrem meum & patrem uestrum. deum meum & deum uestrum eum
subdit. ostendit eum alterum suum alterum uestrum esse deum & dominum. Quoniam bonorum meorum non eges. id est non crescis. nec proficis uir
tutibus & miraculis. et predicatione mea. Nec enim habes quo crescas. quoniam totus plenus es & absolutus. Ideo quia non eges bo
norum meorum. id est uirtutum quas in nomine tuo facio. Quod autem xp̄c de se dixit & unusquisque fidelis qualibet
iustus & sanctus. de semet ipso dicere debet. Non indiges inquit o deus bonorum meorum id est laude mea. quoniam non tu
sed ego illa proficio. Sicut ubi gratia. Sol non indiget nostris oculis ut clare fulgeat. sed nos potius eius radiis caremus ut
uidere possimus. Sic enim fons non indiget nostra potatione. ut fluat. quoniam & si potans desit. ipse defluere non ces
sabit. Sanctis qui sunt in terra eius & cetera. Mirificauit mihi. id est mirabiles ostendit. sed deus pater uoluntates meas
in eis sanctis. qui sunt in terra. id est in ecclesia eius. in apostolis scilicet & ceteris fidelibus. in his sanctis mirificauit deus pater uolun
tates filii sui. quia dedit eis non solum ut ei fidem perciperent. sed etiam ut uirtutes quas ipse fecit. & adhuc
maiores facerent. iuxta quod ipse promiserat eis inquiens. Signa que ego facio. facietis & maiora horum

License: CC-BY-NC – St. Gallen, Stiftsbibliothek, Cod. Sang. 312, p. 26 – Remigius of Auxerre, Expositio in psalmos
(http://www.e-codices.ch/en/csg/0312/26)